

aliud. Ita, anima non est corpus, licet corpori sit copulata. Immo tantum abest, ut unio aduersetur distinctioni, quin potius distinctionem requirat; siquidem non datur *unio*, nisi distincta a se mutuo sint, quae unita dicuntur. Hinc s. Thomas: « Unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis. Multitudo autem non removet unitatem, sed removet divisionem circa unumquodque eorum, ex quibus constat multitudo <sup>4</sup> ».

**XVI. DIVERSITAS NON TOLLIT UNIVOCATIONEM.** Hoc effatum veritate gaudet, si sermo sit de differentiis superadditis communi rationi generis; non item, si de diversitate, quae sit in ipsa communi ratione. E. g., differentiae *rationalis* et *irrationalis* non impediunt, quominus *animal* de homine et bruto univoce praedicetur: « Diversa ratio minus communium non facit aequivocationem in magis communi; licet enim sit alia propria diffinitio equi et asini, tamen univocantur in nomine animalis, quia communis diffinitio animalis convenit utriusque <sup>2</sup> ». E contrario, de Deo, et creatura non potest univoce praedicari *substantia*, nam, cum diversissimum subsistendi modum habeant, in ipsa communi ratione *substantiae* differunt. Rursus, univocatio non tollitur ex diversitate suppositorum. E. g., hoc nomen *homo* non sumitur aequivoce ex eo, quod quandoque de Platone, quandoque de Sorte praedicatur; aequivocatio enim inducitur ex diversa forma, seu essentia significata per nomen <sup>3</sup>, non autem ex diversitate *suppositionis*.

Ex hoc effato s. Thomas infert nomen *homo* non praedicari aequivoce de Christo, et de aliis hominibus: « Hoc nomen *homo* de Christo, et de aliis hominibus dictum semper eamdem formam significat, scilicet naturam humanam, unde univoce praedicatur de eis; sed suppositio tantum variatur in hoc, quod secundum quod pro Christo sumitur, supponit hypostasim increatam, secundum vero, quod pro aliis sumitur, supponit hypostasim creatam <sup>4</sup> ».

**XVII. DIVISIBILITAS EST PASSIO QUANTITATIS.** Nempe, divisibilitas in partes integrales eiusdem rationis, quarum quaelibet sine reliqua, diviso toto, ex se esse potest, est

<sup>4</sup> I, q. XXX, a. 3 ad 3. — <sup>2</sup> I, q. XXIX, a. 4 ad 4.

<sup>3</sup> Vd. p. 14.—<sup>4</sup> *Con.r. Gent.*, lib. IV, c. 49.

proprietas, quae primo et *essentialiter* pertinet ad quantitatem. Primo quidem, cuicumque enim illa convenit, ratione quantitatis ipsi convenit, siquidem ipsa *materia*, si absolute spectetur, indivisa est, et nonnisi a *quantitate* habet, quod dividatur <sup>1</sup>; unde, « separata quantitate a substantia, remanet indivisibilis <sup>2</sup> ». Essentialiter, nam « ipsa ratio quantitatis in divisibilitate consistit; unde ratio quantitatis invenitur proprie in illis, quae per se dividuntur <sup>3</sup> ».

## E

### DISTINCTIONES

#### I. ELICITUS — IMPERATUS <sup>4</sup>.

**II. ENS NATURAE — ENS RATIONIS.** *Ens naturae* vocatur illud quod actu, vel potentia existit extra mentem; e. g., homo, lapis. « *Ens rationis*, ut inquit Scotus, est aliquod praecise habens esse in intellectu considerante <sup>5</sup> », nempe, quod non nisi in intellectu cogitante esse potest: siquidem « *ens rationis*, cum in re nihil ponat, et in se non sit ens, formatur tamen, seu apprehenditur a ratione <sup>6</sup> »; nempe, tunc efficitur *ens rationis*, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, et ideo fingit illud, ac si esset ens. Quocirca *ens rationis* ita appellatur, non quia a ratione efficitur, sicuti sunt opera artis, quae per rationem excogitantur; neque tantum quia est in ipsa sicut in subiecto; ea enim, quae his modis a ratione pendent, sunt entia realia; sed quia esse eius non est nisi in cognitione, seu in ratione, quae illud ad modum entis cognoscit. Iam hoc ens vel habet aliquod fundamentum in re; cuiusmodi sunt ea, quae consequuntur ex modo intelligendi rem aliquam naturae, e. g. *homo* consideratus non secundum se, sed secundum quod dicitur *species*; vel nullum fundamentum in re habet, e. g., *chi-*

<sup>1</sup> In lib. IV *Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, sol. 3 ad 3.

<sup>2</sup> In lib. II *Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4 sol.

<sup>3</sup> In lib. I *Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 1.

<sup>4</sup> Vid. *Actus elicitus — Imperatus*, p. 12.

<sup>5</sup> *Quodlib.*, q. III. — <sup>6</sup> Vid. s. Thom., I, q. XVI, a. 3 ad 2,

maera, quae ab intellectu nostro configuratur<sup>1</sup>. Exinde perspicitur privationes, et negationes esse entia rationis, siquidem in re sunt non esse, sed in ratione habent esse, eo quod intellectus compositionem negationis aut privationis cum subiecto per quoddam esse concipit<sup>2</sup>.

III. ENS—RES. « Ens exprimit actum essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem, sive essentiam entis<sup>3</sup> ». Etenim « est duo considerare in re, scilicet quidditatem et rationem eius, et esse ipsius; et a quidditate sumitur hoc nomen res<sup>4</sup> ». Iam, « quia quidditas potest habere esse et in singulari, quod est extra animam, et in anima, secundum quod est apprehensa ab intellectu, ideo nomen rei ad utrumque se habet, et ad id, quod est in anima, prout res dicitur a reor, reris, et ad id quod est extra animam, prout res dicitur quasi aliquid ratum et firmum in natura<sup>5</sup> ». Itaque, « simpliciter dicitur res, quod habet esse ratum et firmum in natura; et dicitur hoc modo, accepto nomine rei, secundum quod habet quidditatem, vel essentiam quamdam; ens vero, secundum quod habet esse. . . . Sed quia res per essentiam suam cognoscibilis est, transumtum est nomen rei ad omne id, quod in cognitione, vel intellectu cadere potest, secundum quod res a reor reris dicitur, et per hunc modum dicuntur res rationis, quae in natura ratum esse non habent, secundum quem modum etiam negationes, et privationes res dici possunt, sicut et entia rationis dicuntur<sup>6</sup> ».

Hinc peccatum, in quantum est actus, est quedam res, primo modo sumendo nomen rei; in quantum autem est ex privatione ordinis debiti, est quedam res, secundo modo accipiendo rem<sup>7</sup>.

IV. AEQUALITAS AEQUIPARANTIAE—AEQUALITAS PROPORTIONIS. Aequalitas aequiparantiae est secundum quantitatem absolutam, nempe, « quae existit inter duas quantitates eiusdem mensurae, sicut bicubiti ad bicubitum ». Aequalitas proportionis est secundum quantitatem comparatam, sicut patet in digitis manus, « qui non sunt aequales se-

<sup>1</sup> In lib. I Sent., Dist. XIX, q. V, a. 1 sol.

<sup>2</sup> In lib. II Sent., Dist. XXXVII, q. I, a. 2 ad 3.

<sup>3</sup> Qq. disp., De Ver., q. I, a. 1 c.

<sup>4</sup> In lib. I Sent., Dist. XXV, q. I, a. 4 sol.—<sup>5</sup> Ibid.

<sup>6</sup> In lib. II Sent., Dist. XXXVII, q. I, a. 1 sol.—<sup>7</sup> Ibid.

cundum quantitatem absolutam, cum unus alteri superpositus excedat ipsum; sunt tamen aequales secundum proportionem; quia sicut quantitas unius digiti sufficit ad suum officium, ita et quantitas alterius digiti<sup>1</sup> ». Quia in re sanctus Doctor advertit aequalitatem proportionis, non autem aequiparantiae esse de ratione imaginis, eamque adstrui in anima, cum dicitur esse ad imaginem Dei: « Ad rationem imaginis non exigitur aequalitas aequiparantiae, cum magni hominis in parva pictura imago exprimatur; sed exigitur aequalitas proportionis, ut scilicet eadem sit proportio partium ad invicem, quae est in imaginato; et talis proportio invenitur in anima respectu Dei, quia sicut ex Patre Filius, et ex utroque Spiritus Sanctus, ita ex mente notitia, et ex utraque amor procedit<sup>2</sup> ».

V. AEQUIVOCATIO DIALECTICA—PHYSICA. Aequivocatio physica consistit in unitate cuiusdam naturae, quae dispari ratione existit in suis inferioribus, eo quod in uno continetur perfectiori modo, quam in altero; ut animal nobiliore modo reperitur in homine, quam in equo. Dialectica, quae proprie est aequivocatio, oritur ex eo, quod plura eodem nomine, cui diversa ratio respondet, significantur<sup>3</sup>. Hinc una eademque natura dici potest aequivoca, seu homonyma physice, et univoca, seu synonyma dialectice; uti patet in omnibus generibus; siquidem genus, prout contrahitur per differentias, nobiliorem in una, quam in alia, exhibet speciem; sed, si ratio generica dumtaxat spectetur, ipsum in omnibus speciebus, in quas dividitur, ex aequo reperitur; nam homo, e. g., non est magis animal, quam equus<sup>4</sup>.

VI. ESSENTIALITER—PARTICIPATIVE. 1º Essentialiter, seu per essentiam, praedicatur esse de Deo, tum quia Esse Dei est ipsa Eius Essentia, unde Deus dicitur ipsum esse per se subsistens, et ideo non dependere ab alio, sed existere a se; tum quia, cum huiusmodi sit, esse secundum totam plenitudinem et perfectionem complectitur. Idem dicatur de bonitate, et ceteris Dei perfectionibus; appellatur enim bonus, quia est ipsa bonitas<sup>5</sup>. E con-

<sup>1</sup> In lib. III Sent., Dist. XXXVI, q. I, a. 4 sol., et In lib. IV, Dist. XXXII, q. I, a. 3 sol.

<sup>2</sup> In lib. II Sent., Dist. XVI, q. I, a. 1 ad 4.

<sup>3</sup> Vid. p. 14.—<sup>4</sup> Vid. p. 106.—<sup>5</sup> Contr. Gent., lib. I, c. 32.

trario, de omnibus entibus extra Deum esse, et quidquid in eis est, *participative*, seu per participationem praedicitur, quia, cum non sint ipsum esse, non a se, sed ab alio existunt, seu esse a Deo accipiunt, et quidem ita ut ex parte, nempe imperfecte esse Dei imitentur<sup>1</sup>. 2º *Essentialiter* in aliquo genere tale esse dicitur illud, quod maxime tale est, nempe quod totam rationem illius naturae in se includit, ideoque est causa omnium, quae sunt illius generis, quaeque proinde *participative* talia esse dicuntur, quia *partialiter*, sive *particulariter* talia sunt, et non secundum omnem perfectionis modum. Ita ignis, qui est maxime calidus, est *essentialiter* calidus; lignum vero, quod per ignem fit calidum, tale est *participative*.

VII. EX NIHILO SUI—EX NIHILO SUBJECTI. *Ex nihilo sui* aliquid fieri dicitur, si nihil prorsus in rerum natura antea extitit, ex quo illud intrinsecus componatur. *Ex nihilo subjecti*, quatenus a nullo subjecto, in quo existat, dependet. Sic anima rationalis fit tum *ex nihilo sui*, tum *ex nihilo subjecti*. *Ex nihilo* quidem *sui*; nihil enim est in rerum natura, ex quo iam existente, tamquam ex parte, anima humana velut totum aliquod fiat. *Ex nihilo subjecti*; nam, etsi producatur in corpore, tamen natura sua non ita ab illo dependet, ut existere non possit, quin in ipso existat.

VIII. EXPLICITE—IMPLICITE. 1º « *Explicite* in aliquo continetur illud, quod *actu* in eo existit; puta partes in toto: *Implicitē*, illud quod virtute in alio est; e. g., particularia in universalī; vel conclusiones in principiis. Hinc ille, qui conclusiones in se actu considerat, *explicite*; qui vero in earum principiis universalibus, *implicitē* cognoscere dicitur. Item, *explicite* dicimur aliqua credere, cum eis actu cogitatis adhaeremus; *implicitē* vero, cum iis adhaeremus, in quibus, sicut in principiis universalibus, illa continentur; e. g., qui credit fidem Ecclesiae veram esse, in hoc quasi *implicitē* credit singula, quae sub fide Ec-

<sup>1</sup> In lib. II Sent., Dist. XVII, q. I, a. 6 ad 1. « Existendi veritas intelligitur in Verbo, cuius essentia sic summe est, ut quodammodo illa sola sit; in his vero, quae in Eius comparatione quodammodo non sunt, et tamen per illud, et secundum illud facta sunt aliquid, aliqua imitatio illius summae Essentiae perpendatur »; s. Ans., Monol., c. 31.

clesiae continentur<sup>2</sup> ». 2º *Explicite* aliquid dicitur, quod apertis verbis significatur; ita qui Petrum dicit esse hominem, eum talem esse *explicite* nominat: *Implicitē* significatur id, quod in *explicite* dicto continetur; ita qui Petrum hominem appellat, eum esse substantiam etc. *Implicitē* innuit. Unde, « qui unum dicit, quodammodo multa dicit, non simpliciter, sed quodammodo, quia *implicitē*<sup>3</sup> ». 3º *Implicitē* Deum appetere omnes creaturae communiter dicuntur, quatenus appetunt bonum, quod est quaedam divinae Bonitatis similitudo; *explicite* autem creaturae rationales, quarum proprium est appetere Deum, quia Illum cognoscunt secundum seipsum<sup>4</sup>. 4º *Explicite* aliquid quis vult, cum voluntatem suam verbis, aut alio signo id denotante exprimit; e. g., herus *explicite* vult illud quod expressis verbis imperat; *implicitē* autem, sive *tacite*, quod ex aliquo facto, aut ex facti omissione velle censetur; e. g., herus conducens famulum, *implicitē* vult obsequia in se a famulo adhiberi. Quo sensu haec verba idem valent, ac, *Actu signato-exercito*<sup>4</sup>.

IX. EXTENSIVE—INTENSIVE. Vox *extensive* adhibetur vel respectu amplitudinis subjecti, in quo aliqua proprietas inest, puta *extensive* maior dicitur albitudo, quae est in maiori superficie; vel diuturnioris temporis, unde poena aeterna dicitur *extensive infinita*; vel plurimum effectuum, ad quos virtus alicuius rei porrigitur; e. g., vita dicitur *extensive plena* in homine, quatenus sunt omnes vivendi modi, non vero in brutis, quae non vivunt vita intellectuali, nec in plantis, quae non vivunt vita sensitiva. Vox autem *intensive* maiorem perfectionis gradum significat, puta calor *intensive plenus* in igne dicitur; vel maiorem, quae inde consequitur, operandi virtutem, sicuti scientia ex efficacia cognitionis *intensive* in aliquo esse dicitur.

<sup>1</sup> Qq. dispp., De Ver., q. XIV, a. 11 c. Hanc fidem *implicitam*, tamquam Catholicorum commentum ad sovendam ignorantiam Calvinistae acriter insectarunt. Sed aliud est sub fidei *implicitae* praetextu debitam in Religionis studium diligentiam omittere, quod culpabile esse, maximeque deplorandum omnes Catholicī profitentur; aliud plenam distinctamque omnium Fidei nostrae articulorum intelligentiam consequi, id quod vix sapientes et docti, rudes autem et illiterati, ne vix quidem possunt.

<sup>2</sup> S. Bonav., In lib. I Sent., Dist. XXVIII, dub. I.

<sup>3</sup> I, q. VI, a. 4 ad 2. Vid. p. 19 et 22.—<sup>4</sup> Vid. p. 15.

Hinc Theologi docent gratiam habitualem in Christo intensive et extensive plenam fuisse. Nam agnoscenda ea est in Christo « in summo gradu possibili secundum statum connaturalem , et de lege Dei ordinaria , habetque omnes suos effectus connaturaliter possibles, uti sunt remotio peccati, sanctificatio proprii subiecti, et aliorum hominum, cum sit gratia capitinis, potestque, quantum est de se, se extendere ad sanctificationem infinitorum hominum, et Angelorum, si possibles essent <sup>1</sup> ».

Porro planum est illud perspicere, quod qualitas, quae in quodam subiecto magis intensive est, quam in alio, posse in hoc esse magis extensivam, quam in illo. Sic bonus Logicus intensive est doctior mediocri medico; at hic extensive est illo doctior. Ita etiam calor, ut sex, in sola manu intensive est maior calore, ut quatuor, in toto corpore; at hic extensive illum excedit.

X. EXTRINSECE—INTRINSECE. 1<sup>o</sup> Extrinsece alicui convenit id quod ipsius essentiam non ingreditur, quo sensu homini extrinsece advenit esse doctum: *Intrinsece*, id quod illius naturam constituit, e. g., homo *intrinsece* est animal. 2<sup>o</sup> Extrinsece inesse rei dicitur id, quod illi physice non unitur; e. g., columna *extrinsece* dicitur dextra, quia « dextrum non dicitur de columna, nisi in quantum ponitur animali ad dextram <sup>2</sup> »; ita ut esse dextrum non sit realiter in columna, sed in animali: *Intrinsece*, id quod physica unione in aliquo reperitur; ut Aethyops *intrinsece* est niger. 3<sup>o</sup> *Extrinsece* est in aliqua re illud, quod ipsam non pervadit; uti punctum est *extrinsecum* parti, quam copulat: *intrinsece*, quod rem afficit quoad partes interiores; id quod, monente s. Bonaventura, duplice esse potest, nempe aut sicut contentum respectu continentis, ut aqua respectu vasis, aut quia « influit in intima rei, et influendo conservat et perficit »; quo modo esse intrinsecus non congruit daemoni nec respectu simulacri, nec respectu hominis <sup>3</sup>. 4<sup>o</sup> *Extrinsece*, vel *intrinsece* aliiquid esse possibile diversa ratione dicitur <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Vid. Gonet, *Manuale Thomistarum*, Par. 3, tract. I, c. 10, t. V, p. 511, 512, Bitteris 1680.

<sup>2</sup> I, q. XIII, a. 7 c.

<sup>3</sup> In lib. II Sent., Dist. VIII, p. II, a. 1, q. I ad arg.

<sup>4</sup> Vid. *Possibile*, litt. P.

## EFFATA

I. EADEM SUNT PRINCIPIA ESSENDI ET COGNOSCENDI. Etenim sicuti principium, per quod res est, est eius forma <sup>1</sup>; ita « omnis cognitio est per aliquam formam, quae est in cognoscente principium cognitionis <sup>2</sup> ». Iam vero alio modo sunt principia essendi et cognoscendi; sunt enim principia essendi quoad esse reale et particulare; sunt autem principia cognoscendi quoad esse abstractum et universale. Quocirca s. Thomas illud effatum explicat hunc in modum: « Dicendum quod illud, quod est principium essendi, est etiam principium cognoscendi ex parte rei cognitae, quia per sua principia res cognoscibilis est; sed illud, quo cognoscitur ex parte cognoscentis est similitudo rei, vel principiorum eius, quae non est principium essendi, nisi forte in practica cognitione <sup>3</sup> ». Et s. Bonaventura: « Quando dicitur, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad cognitionem, hoc intelligitur, quia eadem principia, quae sunt principia essendi, sunt etiam principia cognoscendi; sed tamen principia conferunt esse per seipsa, sed cognitionem non conferunt per se, sed per suas similitudines <sup>4</sup> ».

Insuper, licet quaecumque principia essendi sint principia cognoscendi, tamen non omnia principia cognoscendi sunt principia essendi; e. g., formae intellectus speculativi sunt tantum principia cognoscendi, et effectus interdum sunt principia cognoscendi causas <sup>5</sup> ». Non autem est necesse, quod omne, quod est principium cognoscendi sit principium essendi, cum quandoque cognoscamus causam per effectum, et substantiam per accidentia <sup>6</sup> ».

Denique, « non oportet ita essentias rerum produci, sicut habent cognosci; sufficit enim, quod sic se habeant ad esse, sicut se habent ad cognitionem; sed non oportet

<sup>1</sup> Vid. *Forma*, litt. F.

<sup>2</sup> Qq. disp., de Ver., q. X, a. 4 c.—<sup>3</sup> Ibid., q. II, a. 3 ad 8.

<sup>4</sup> In lib. I Sent. Dist. XXXVI, a. II, q. 2 ad arg.

<sup>5</sup> S. Thom., Ibid., q. III, a. 3 ad 7.

<sup>6</sup> I, q. LXXXII, a. 3 ad 4.